Opuscula

HONOR THEOLOGICVS
à Sceptris Rectoralibus
MAGNIFICVS;
à virtutibus & meritis Literaria in Republica
SVBLIMIS;
SUB GRATIOSA PROTECTIONE
CELSISSIMI PRINCIPIS,
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. ANDREÆ
STANISLAI KOSTKA
COMITIS in ZALUSKIE
ZAŁUSKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ,
EQUITIS AQUILÆ ALBÆ,
Studii Generalis Universitatis Cracoviensis
CANCELLARII FAVENTISSIMI.
In MAGNIFICO DOMINO,
D. M. STANISLAO IOANNE
PHILIPPOWIC,
Sacræ Theologiæ LICENTIATO & PROFESSORE, Collega Majore, Ecclesiarum Collegiatarum; Sancti FLORIANI ad Cracoviam DECANO, Cureloviensis SCHOLASTICO, Parochialis Premykoviensis PRÆPOSITO, Alumnatûs Roszczeviani & Contubernii Starnigeliani PROVISORE, Studii Generalis Vniversitatis Cracoviensis RECTORE.

Perillustri

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. PETRO ALEXANDRO SZYMAKOWSKI,

S. Th. LICENTIATO & Professore, Ecclesiarum; Collegiatæ S. FLORIANI PRÆPOSITO, Parochialis in Nasiechowice CVRATO, Contubernii Hierosolymitani PROVISORE,

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. CASIMIRO STANISLAO PAŁASZOWSKI,

S. Th. LICENTIATO & Professore, Collega Majore, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI CUSTODE, Curelovienfis DECANO, Parochialis Czerniechoviensis CURATO, Scholarũ Novodvorscianarũ PROVISORE.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. ADALBERTO ANTONIO GRZYMAŁA,

S. Th. LICENTIATO & Professore, Collega Majore, Ecclesiarum Collegiatarũ S. ANNÆ DECANO, S. GEORGII in Arce CUSTODE, Zielonecẽsis CURATO.

Dum à

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. MATHIA ZIĘTKIEWICZ,

Sacræ Theologiæ DOCTORE & Professore, Ejusdemq; Facultatis DECANO, Collegii Majoris SENIORE PATRE, Ecclesiarum; Cathedralis Crac: CANONICO, Collegiatæ SS. OO. & Parochialis in Zarnowiec PRÆPOSITO, Librorum per Diœcesim Crac: Ordinario CENSORE, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCURATORE, Vniversitatis PROCANCELLARIO.

Sacræ Theologiæ DOCTORES,

In Illustrissima Magnorum Hospitum Frequentia,

In Ædibus Collegiatæ Sanctæ ANNÆ;

ritu solenni renuntiarentur;

plaudente calamo,

M. ADALBERTI BIEGACZEWICZ, Philosophiæ Doctoris, ejusdem & Tiliciani Eloquentiæ Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Canonici,

DEMONSTRATUS.

Annò Domini 1748. Die 22. Mensis Januarii. Typis Collegii Majoris.

HONOR THEOLOGICVS.

Theologici ad Culmen Honoris
eluctare Calame!
Magnificum adora, ſublimem reverenter metire.
Imò verò
mirare priùs
& merita ſublimia, & labores magnificos.
Fruſtra quippe excelſa Sacræ dignitatis nitereris ad culmina,
ni mentium apices Cælo & Intelligentiis vicinos,
virtutum & meritorum cumulos grandes,
dulciſſimum vectigalis paginæ onus,
ad triumphale Orbis proferres ſpectaculum.
Errat graviter,
quisquis Honoris Magnificentiam, à ſolo adjectivo
vocabulo venire cenſet.
Virtus, merita, edecumatiq; labores
unam congerendi in ſubſtantiam,
ut Honor ſublimis pullulet, & Magnificus.
Aliter eum obtingere, qui ſentit,
Somniat lucem in tenebris, ſplendorem quærit in umbris,
meditatur flammam in fatuis ignibus,
venatur colores in iride,
luditur vilis nullô pretiô algæ.
Illuſtres tituli, clariſſimaq; dignitatum agnomina,
niſi in ſubjecta ſe digna cadant, quid ſunt?

Fucus dignitatis, non dignitas,
Larva honoris; non verus honor.
Illum si deterseris, hanc si detraxeris;
Erubescet Assyria pro muliebri Sardanapali fuso Purpura,
Romana pro Galbæ silicernio Majestas.
Nimirum.
Res præstantissima Honor, soli præstantissima in censum virtuti cedit.
Præter Nomen est Magnificum nihil,
si in vacua meritorum prodigitur Nomina.
Si in eorum ornamenta protruditur,
à quibus reciprocè ornandus non est,
pallescit ut in plumbo gemma,
vilescit, ut adamas extra auream gemmarum sedem.
Nobilissimum profectò accidens,
turpem in infamiam & propudium degenerat,
si nihil de emeritæ substantia virtutis retinet.
Ab hac sola esse illius totum.
Quantô hujus se metitur palmô, tantus est, & apparet.
Omnes illius tituli, à Persona quam ornat,
omnis denominatio à subjecto, quod denominat.
Exigit nempè priùs quod tribuat, recipit quod reddat
mercatur quòd feneret.
Ut Excellentis titulô veniat, animi excellentiâ requirit,
ut Illustris nominetur, splendorem virtutum reposcit,
Sublimia merita ut sublimis, omnia Magnifica,
ut dicatur Magnificus.
Honor Theologicus
â magnis meritis & virtutibus Vestris
Perillustres Domini NEODOCTORES,
pluribûs se auctiorem titulis gaudet.
Quòd sit, quòd dicatur MAGNIFICUS,
Tibi

Tibi debet

Magnifice, Perillustris & Admodùm Reverende D.

D. M. STANISLAE PHILIPPOWIC,

Universitatis RECTOR Vigilantissime.

Princeps Scientiarum Divina Theologia,
Ornat Tuum, Cui tota insedit Caput
Doctorali laurô.

Tu Lauream Sacram,
sapientis jubáre animi illustras,
magnorum gemmîs meritorum appretias.

Principem scientiam,
Rectorali murice & Sceptrorum ornas Majestate.

Ex Industria omnino
aliquas Honorem Theologicū dixerim nexuisse moras.
Magnis ille Tuis meritis prìdem debebatur,
vel eo arcanô gradum accelerare distulerat,
ut sceptriger in Te emineret,
ut à Rectorali Purpura, diceretur Magnificus.

Quantò verò pulchriùs prævenire meritîs honorem,
eruditione Lauream;

Tantò speciosius gloriæ Tuæ argumentum
suspensa tantisper laureæ fecit acceleratio.
Soli illa Tuo Capiti defuit non animo,
quem pridem perfecta coronavit sapientia.

Eruditorum Insignia, Viros quos invenerint insignes
monstrant, non faciunt.
Doctorales Cathedræ sapientum throni sunt:
Tota eorum structura ab architecto intùs animo

quantum hic egit, ut excelſus fieret, tantum illi prominent.
Ante Solium Auguſtus & Cæſar,
qui mente non pumilio.
Ante Cathedræ faſtigia,
animum RECTOR Magnifice detuliſti Doctoralem,
quia ſublimem eruditione & ſapientiá.
Renunciari Te deſiderabamus Doctorem,
cum talis eſſes, priusquam dicereris.
Optabamus Capiti Lauream,
quam edecumata merita,
quam diuturni in Univerſitate pridem texuerunt labores.
Quadraginta circiter ab annis
Academicam amplexus ſtationem,
nunquam in ea viſus es ſtationarius.
Alterna quiete frui;
praxis uſitata Diis, uſitata hominibus.
Non ſemper Jupiter fulmina vibrat,
non ſemper tendit Apollo arcum.
Abjeciſſe Hercules aliquandiu Clavam dicitur,
Anthæo pluries procubuiſſe placuit, ut fortior reſurgeret
A primo in Univerſitatem ingreſſu
Tibi motus continuus, quies nulla.
Spartam ex ſparta, laborem aucupabaris ex labore.
Nunquam Te ea quietum fecerunt, quæ egiſti,
ſemper verſabas animo, quæ majora acturus eſſes,
Academica pro obſequio & gloria Palladis.
Doctor in Philoſophia renuntiatus,
Platoni & Ptolomæo, Ariſtoteli & Euclidi,
& nomen & operam dediſti fidelem;
diviſus in plures, totus pluribus adhæſiſti.
Erudi-

Eruditos labores partiebaris in Philoſophos
& Mathematicos,
utrorumq; profectui integrum impendiſti animum.
Illorum plurimos Tibi Peripatus debet,
ex his ſequaces ſuos Ptolomæus penè omnes.
Debent quoq; Tibi inſtitutionem ſuam
Illuſtriſſima SIERAKOVIORUM Nomina,
tantùmq; Tuam gloriam augent,
quantùm Infulas, Curules, Areopagos,
religione, prudentiâ, juſtitiâ, ornant, implent, & regũt.
Magnis in Minori clariſſimus,
majorum Provinciam laborum,
Majori quæſiîſti in Polonia.
Curſus Tibi in ea Philoſophicus obtigit,
potiùs Tu Curſui, qualem poſcebat
dexterrimus & indefeſſus Athleta.
Stadium hoc
non una ex parte Logicalibûs horridum ſpinîs,
ſed totum variîs difficultatum conſitum aculeîs,
clara obſcurorum dilucidatione,
evolutione abſtruſorum felici,
difficilium enodatione facili,
ſubtilium reſolutione perſpicua.
ſic feciſti planum;
ut quibus illud Te Ductore terere contigerat,
Perſei ſe roſas calcâſse gloriarentur.
Arenam ibi Philoſophicam,
în qua Tibi plurimæ fuerunt luctæ, & lucra totidem,
à calce decurriſti ad Columnam.
Tam ſolidus in Schola THOMÆ Philoſophus,
quàm pro Roſtris Ejus facundus Orator,

 dum

dū Angelici Doctoris laudes in Periphæria concētrâsses
Profectò
Lubransciana Pinus
dedisset ultrò frondes suas Tibi in laureas,
ni laureatum recepisset.
Nexuit tamē pulcherrimā gloriæ & æstimationis coronā,
quâ ornatus, à Varta ad Vandalum, ab alveo ad fontem,
à fonte ad Oceanum redux,
& plausum Almæ Matris
& præmia recepisti laborum.
Hæcné autem laborum præmia?
quæ majorum pignora fuêre.
Ita profectò Academico in Orbe,
in quo non priùs manus de tabula movenda, quàm corpus in urnam;
laboris merces, alterius teßera est.
Magna operosæ virtutis Minori in Collegio molimina,
Majus dum coronaret Collegium,
provocavit ad majora.
Hîc Tibi
Astronomicæ, Geometricæ, Philosophicæ
incubuerunt curæ,
singulas superiori tulisti animo, cum omnes pari,
Artistarum vice gemina DECANUS,
si muricem à nativo purpureum non recepisses colore,
effecisses talem, à gemmis operosi sudoris.
Noctes Tuæ Decanali in Purpura insomnes,
facillimè persvaserunt Philosophis Cleanthis lucernas,
& Diogenis lychnos.
Tuus operosissimus in Artistica Facultate Magistratus,
lex viva erat
inclamans eße fortia agenda, & spartam seriò ornandam.
Proscripsisti à Stoa Pythagoræ silentium omne,
Lectoria & Lycæa doctis sub Te resonuerūt clamoribus.
Arena

Arena Stagyritica,
ſummo animorum fervore erudita moveri
audivit jurgia,
cum & doctrinâ & exemplô,
deditos Philoſophico ſtudio animos moveres incitatiùs.
AuXiſti Facultatem ſubjectîs,
quæ formâſti Profeſſor;
Ornâſti Virîs,
quos ad laureas promoviſti DECANUS;
accumulâſti meritîs, replêſti laboribûs
Philoſophus, Mathematicus, Geometra.
Annos ante viginti,
Theologicam ad Facultatem aſſumptus,
novam laboris ſubiiſti arenam,
novosq; Sole ſub Aquinatico ſudoris æſtus.
Acuiſti lynceam ſolidioris ingenii pupillam,
ad ſolare Thomiſticæ ſapientiæ jubar.
Iviſti mentis acutæ oculô,
per fidei obſcurum, per ſcripturarum caliginem,
per parabolarum umbras, per ænigmatum involucra,
in explorando felix, in explicando facilis,
in dilucidando clarus.
Totam Angelici Doctoris Summam,
ſummo ſuas per partes compilatam labore,
impendiſti in Auditorum uſus & profectum.
Curſus Theologicos omnes
abſolviſti indefeſſus,
conſumâſti coronâ digniſſimus.
Sudabas in Cathedris, laborabas pro Cathedris,
operoſiſſimus in illis PROFESSOR,
pro illis & pro Univerſitate tota
Generalis longè ſollicitus PROCURATOR.

Functio hæc,
grandis aliàs curarũ acervus, ingensq; negotiorũ moles,
totum una hominem requirens,
totum Te nacta, cum & Cathedræ retinerent totum.
Trinô eandem lustrô, sustinuisti sine tædio,
gessisti felici difficilium Causarum cum exitu,
continuâsti ad insignia laborantiũ Professorũ comoda,
ad plurimas expectatorum stipendiorum vindicias.
Quid restabat ampliùs?
nisi ut pro quorum bono, multis in subselliis
& longo jure egisti,
dares tandem jura Quiritibus,
acclamarerisq; ex PROCVRATORE,
RECTOR Universitatis Vigilantissimus;
Ut post exantlatos non tantùm in Cathedra,
ast omni in foro labores, veniret Tibi
non solitarius, sed Magnificus simul,
& Theologicus Honor.
Hic Te
Locô secundũ, primogenituræ titulô primũ,
quò expectavit tædiosiùs,
eò lætiùs ambit & coronat,
Perillustris & Admodùm Reverende Domine,
D.M. PETRE ALEXANDER
SZYMAKOWSKI.
Assurgit senio Tuo Doctoralis Cathedra,
duplici eo conspicuus es,
uno ætatis, altero meritorum.
Illud Te omnibus venerandum,
Hoc

Hoc Theologicîs pridem dignum laureîs fecit.
Non nuda verò ætate Theologicus Te metitur Honor.
Parum quippe vivunt, qui tantùm annîs vivunt.
Nullum venit ab ætate lucrum, si nulla bonum in commune lucra.
Reciprocatione mutua
Academici labores ætatis Tuæ,
provecta ætas edecumatorum mensuram laborũ refert.
Non annis Tuam in Universitate statuisti distingvere vitam,
sed annos laboribùs.
Plures illorum exegisti decades, nullam pro Tua reputans,
quam grandævæ aliquot sæculîs Matri,
vel ad incrementa studiorum, vel ad ornamenta non impenderis.
Partem Tui meliorem ævi,
Jagelonicæ libenter excoluêre Musæ,
tanquã præsagæ vates, se quondam à Te excolendas fore.
Non defuit suus Phæbadum vaticiniis eventus.
Renuntiatus quippe in Artibus Magister,
Vigilantissimus Vladislaviẽsib9 Scholis obtigisti Professor.
Magnus Phæbi & Musarum Sacerdos,
dierum̃ noctiumq; sudores,
Scholarum gloriæ, Studentium profectui litâsti.
Signavit quondam suo Pyrrhus in Achate,
totum cum Phæbo & Musis Parnassum.
Parnassus noster, sub Te Apolline,
plurimas ingeniorum protulit & peperit gemmas.
Locutus es in eo,
non vana vatum somnia, sed solidioris arcana doctrinæ,
& serium omne, quod in basim ac nervum perfectæ eruditionis cederet.
Aoniis ex fontibus, succum Literaturæ,
ex Tullii fluentis politioris svadæ medullam
Studiosis propinabas mentibus.
Sufficiebat ad gloriam unus Aristoteli ALEXANDER,
quid Tibi numerosissima Iuventus?

 quam

quam rexisti prudentiâ, instruxisti doctrinâ,
probis imbuisti moribus, instituisti pietate.
Absolutô ergo in Classibus navigiô,
submissum regimini Tuo, parentem gubernio,
Philosophicum habuisti Euripum.
Quantæ activitatis, quantæ gloriæ Tuæ negotium?
fecisse pendulum ab arbitrio Amnem illum,
qui Stagiræ ingenio non paruit,
cepitq; priùs Philosophorum Principem,
quàm caperetur.
Tot Tibi de Eo Triumphi,
quot per tortuosos illius mæandros & anfractus,
Te Clavum remigii tenente
læta luserunt navigia;
Quot onerariæ Philosophîs Classes,
eruditas securæ peregerunt Naumachias.
Adeò
Perito sub Ductore
etiam in bivio non dubius trames,
& in lubrico tutus gressus,
& in præcipitio nullum periculum.
Sub Te Artistarum DECANO,
nulla via Philosophis fuit invia,
nullum vadum non superabile,
nulla profunditas non penetrabilis,
nulla difficultas non facilis captu.
Verè enim Nominis Tui
A L E X A N D E R,
solvebas quæ Gordium sapiebant nodum,
enucleabas quæ arduo tegebantur cortice;
tantùm ingenii acumine in perplexis victor,
quantùm ille gladii acie, in ancipiti alea belli.
Eru-

Eruditæ ergo cum plausu virtutis;
ex ſcapha trajeciſti in carinam,
ex colle in montem,
ex minori luco, in Sacram Divinis ab oraculis
Theologicam commigrâſti Dodonam.
Philoſophica tunc Facultas
damnum ſuum ſenſit, & reputavit pro lucro,
diſpendium retulit, & recenſuit pro gloria,
dum Te ſua meritiſſimum in Sphæra,
honorifico ad altiorem vidit præmiari aſcenſu.
Niſi verò,
altioris materia & objectum ſcientiæ, diverſũ Te feciſſet,
non facilè dignoſcendus eras
Theologus à Philoſopho.
Qua enim facilitate
explicuiſti Philoſophus Ariſtotelem,
eâdem Theologus THOMAM.
Quàm clarus naturalis in caligine ſcientiæ fuiſti,
tam perſpicuus in ea Profeſſor:
quæ lucem inacceſſam indicat, ſed ſub ænigmate,
lumen fidei monſtrat, ſed ſub involucro.
Apoſtoli primùm Epiſtolâ,
frequentem ad Theologicum ſub Te ſtudium invitâſti
Auditorem.
Eccur verò invitandus erat?
Qui numeroſus è Tuo ad Cathedras pendebat veſtigio,
quemadmodùm apes à Matre ad mellificium provolante.
Leves pugnas validiori præmiſiſti certamini,
quod magni Duces;
Explorando faciliùs Thomiſtico Soli, aptâſti ingenia in radiis,
quod Aquilæ;
Ad tranandum Aquinaticum mare, exercuiſti ſubjecta in rivulis,
quod periti in re nautica Magiſtri faciunt,

Sacramentalis, demum Speculativus
Professor:
(ut propriô vocabulô utar)
Theologico expeditus in cursu,
in lectione sedulus,
in explicatione solidus,
Pluribûs domi & foris disputationibûs clarissimus;
Doctorali pridem laureâ dignis
ornâsti Facultatem, implêsti Cathedram
& meritis & laboribûs.
Typographiæ pluribûs Annîs ADMINISTRATOR,
auxisti Majori emolumentum Collegio,
cum illi librariæ officinæ
exactum primò ordinem, ac demum
firmiora prœla, nitidiorem typum, variamq; providisti
supellectilem.
Scholarũ & Contubernii Hierosolymitani PROVISOR,
illis laudatissimo præfuisti regimine,
huic optimo præes gubernio,
prodes curâ & sollicitudine.
Meritô Tuô, votô Academicorum unanimi,
ter Universitatis RECTOR Magnificus,
tantum illo in regimine egisti,
quo non plus,
ad pacata Musarum otia,
ad literariæ tranquillitatem Reipublicæ,
Regiæ ad honorem Palladis, Tui ad gloriam Nominis,
vel sperari poterat, vel optari.
Vocalia sunt merita, loquacia beneficia.
Etiam calamo tacente,
Loquitur liberalitatem Tuam
Parochialis in Nasiechowice Ecclesia,
Sumptibûs Tuîs elevata à ruinis
aucta decoribûs, accumulata ornamentis.
Mater

Mater Literarum & Tua Universitas
pridem Te titulô Benefactoris compellavit,
Quem nunc inter gaudia & plausus acclamat
NEODOCTOREM.
Ordine & locô tertius,
meritorum ac eruditionis gloriâ nemini secundus,
vectigalem sub calamum venis,
Perillustris & Admodùm Reverende Domine,

D. M. CASIMIRE
PAŁASZOWSKI.

Minus est meritîs Tuîs quodlibet elogium,
minor laus laboribûs.
Omnes in Orbe Literario spartas
dexterrimô subiîsti animô,
ornâsti actione, opere coronâsti.
Virum Te robustissimum Academici invenêre labores.
Plures peregisti, quàm recenseri possunt,
nullus Te fatigavit, nullus nō minor Tuîs viribûs apparuit.
Post assumptas in Philosophia laureas
Novodvorsciano in Musæo
primæ Tibi circa instituendam Iuventutem curæ fuerunt.
Leves eas quis dixerit?
quibus tota eruditionis & virtutis incubuit moles.
Tenerior enim institutio integram vitæ hominis rationem subit.
Qvem mollior lana colorem recipit, difficulter dimittit,
Qvo semel est imbuta recens, servat odorem
testa diu.
Juvenum animi, instar surculorum sunt,
quam eos in partem inflexeris,
in eam semper propendebunt.
Summa animadversione opus, ne frutices hi degenerent
in stolones.

Summo labore, ut radices mentium formentur in Mercurios.
Magnos huic negotio impendisti conatus,
magna enixi laboris adjecisti momenta.
Bonîs profectò artibûs instituebas Iuventutem,
quia probitati iunctîs.
Tuo sub Magisterio,
artium simul & virtutum capiebantur tyrocinia.
Attendebas seriò studentium profectui,
nec minùs introspiciebas in mores.
Commendans Sapientiam, inculcabas timorem Domini
initium Sapientiæ.
Magnum in utroq; Iuventutis profectum,
labor Tuus enixus & magna fecit vigilantia.
Allaborabas sedulò ut ex illo Reipublicæ Seminario,
prodirent Patriæ & docti Cives & viri probi.
Effecit utrumq; facilè circumspecta Tua prudentia.
Ut enim artis frenatoriæ periti faciunt,
qui umbrâ virgæ generosos Sonipedes regunt,
tardiores calcaribûs:
Nobiles Teopompos, laudis stimulô incitabas,
ferulâ, qui Ephori obtigerunt.
Qvàm propensô in commoda & emolumenta Iuventutis
fueris animô, testis est
Rhetorica typîs impressa Institutio.
Dies noctesq; attrivisti,
ut illa lucem detersâ præli sepiâ aspiceret.
Hujus pretiô operæ, redemisti tempus, quod scribendîs Rhetoricîs insumebatur præceptîs.
Voluisti manus feriari à calamo,
ut notabiles animorum præscinderes ferias.
Duxisti satiùs
Copiosiorem mentibus affundi stylum, quàm chartis,
& ingeniis eò plus de eloquii torrente,
quò minus sepiæ effunderetur in paginas.
Sub Te Novodvorsciano Isocrate,
fer-

fervido cultioris ſvadæ amore, nobiles incaluerunt animi,
eò feliciori votorum ſucceſſu, quò faciliorem parandæ
præſcripſeras & methodum & viam.
Claſsiſticis laboribus Minus in coronam Collegium,
Tyliciana verò Profeſſio,
majorum ceſsit in materiam laborum.
Novem ultra annos ſolidiorem Eloquentiæ texuiſti telam,
omni quod eam intimiùs reſpexerit æſtimandam ſæculo.
Tullianos hìc latices vaſtum diduxiſti in mare,
Oratoria lumina, in luminum fontem,
copiosè dicendi artem, in eas diſſertationes & praxes,
quæ Nuntio ad Comitia, Senatori ad Curiam,
Legato ad Principem, Eccleſiaſtæ ad Sacra ſuppeterent Roſtra.
Commendatur ab Iliade Homerus,
in qva Achillis geſta Orbi commendavit.
Principum, Præſulum, Senatorum,
Panegyricus toties laudator,
ſemper felicis calami plauſum, & cultioris retuliſti
encomia ſvadæ.
AUREUM PATRIÆ & ECCLESIÆ TRIPODEM,
in Junoſsio AGNO
Celſiſſimi PRINCIPIS, CANCELLARII ad
præſens Noſtri Faventiſſimi,
Plocenſem primò aſcendentis Cathedram,
vectigali cum adorares calamo,
viſus es è Tripodum conſilio ſcripſiſse,
Cùm PRINCIPEM CANCELLARIUM,
Sapientiſsimo Capite Delphos gerere,
ore oracula loqui, Orbis habeat in confeſso.
PLUS ULTRA HONORIS
Gentilitijs GONZAGÆ e WIELOPOLSCIIS MY-
SZKOVII Palatini decoribus ;
FONS SPLENDORIS

 In

IN BONUM PATRIÆ OCEANUS
LUBOMIRII Principis SZRENIAVA;
FASTIGIUM INFULÆ & MITRÆ
à Rastriferis LIPSCII Præsulis Montibus
Craciô eminentius Vavellô;
dignæ tantîs Nominibûs Panegyres,
pretiosi pennæ Tuæ sudores,
acceptata officiosissimæ in magnos Regni Proceres
Academicæ Eloquentiæ documenta,
quorum venerunt in manus, eorum cordibus
magna Tui insedit æstimatio.
Ac si totos suadæ torrentes, uno conclusisses calamô,
præter Præsulum ad Stalla, Senatorum ad Curules,
condignos eo fudisti plausus;
ANCHORÆ ŁOPACCIANÆ
Theologico in æquore fixæ;
POTESTATI KAZNOVII TRIBUNALITIÆ
Iuridicam ad Lauream provectæ.
Funeribus demum meritorum de literis Virorum,
lugubri dum parentares stylô,
gratam eruditorum Nominum transmisisti posteris memoriam,
acerbos Vniversitatis dolores leniisti.
Continuis profana in Cathedra laboribus,
junxisti in Sacra quoq; operosa negotia.
In Collegiata primùm Divæ ANNÆ,
pòst festivus Cathedrali in Ecclesia Concionator,
ad Lydios illos ingeniorum lapides,
quibûs Coronarum Ternio fulget, locutus es aliquot annîs
æquè pro Reginæ Cælorum Majestate,
ac pro Auditoris dignitate.
Jactent alii Oratorum Phænices,
Tu domi forisq; audiebaris Orator felix.
Summîs profectò Eloqventiæ spartam
gessisti laboribûs,
Philosophiæ non minoribûs.
Trinîs in Facultate hac vicibûs DECANUS,
pluribûs utramq; ad Lauream Promotor,
ge-

geminô meritiſſimus titulô,
ſedulo nempe labore
& Laureatorum ultra centum viginti creatione.
Ex Oratore, Philoſopho, tandem Theologus,
in nova contuliſti animum,
Superioris in aditu Cathedræ mutatas dixiſti formas;
mutatâ verò ſcientiâ, non curas in docendo enixas,
non animum, in quærendo ſtudentium profectu mutâſti.
Eo Tibi apparuiſti diſſimilis,
quòd ex Philoſopho Theologus,
eo ſimillimus imò idem,
quòd utroq́, ſub nomine
eandem in docendo facilitatem,
in formandis tam Eccleſiæ, quàm Patriæ ſubjectis
felicitatem retineres.
Speculativum, Moralem,
gemina verò Curſum Sacramentalem vice
abſolviſti indefeſſus.
Theſes alias
Divi CASIMIRI Tutelaris Tui Regio,
alias *MNISZCHOVII* olim Caſtellani
Nomini dicâſti Illuſtriſſimo;
utraſq; oppugnatas publicè, dexterrimè defendiſti.
Theologicæ penes labores Cathedræ Academicaq; negotia,
quæ niſi catervatim incumberent,
deſinerent eſſe Academica,
Ordinandorũ & approbandorũ ad Examen aſſumptus,
libentiſſimus Eccleſiæ impendiſti obſequium.
Non hìc autem Sphyngis proponis ænigmata,
ut Oedipos noſcas.
Exploras ſeriò ingenia, ſed exploratio ad captum.
Proponis difficilia faciliter,
perplexa non involutè, obſcura clarè, dubia planè;
majus in eo ingeniorum judicium ponens,

ſi plus quæratur de ſcientia,
quàm de ingenio,
Scholarum Novodvorſcianarum Proviſor,
ut olim inſtituendæ Iuventuti incubuiſti fideliter,
ſic nunc eam inſtituentibus attendis ſollicitè.
Domi meritîs, foris æſtimatione plenus,
exercuiſti demum cum gloria
artem artium, & quandam Sapientiam Sapientiæ,
regimen nempe Sapientûm.
Sexies RECTOR Univerſitatis Magnificus,
rexiſti literatos ſvaviter, liberos efficaciter.
Auxiſti Sceptris Academicis pretium,
cùm ea nuper Regiarum in adorationem MAJE-
STATUM, Sereniſſimarumq; ſalutationem adſter-
neres PRINCIPUM,
eloquiô MAJESTATIBUS gratô,
laudatô à Regni Proceribus,
appretiatô ab omnibus.
Nullus ſanè ſupereſt titulus,
quo de re literaria non merueris.
Hic reſtabat unicus,
quo Te iam venerabimur
creati Sacra in Facultate NEODOCTORIS.
Agmen Laureatorum claudendo
vectigali pennæ novum laudum Campum aperis.
Perilluſtris & Admodùm Reverende Domine,
D. M. ADALBERTE
GRZYMAŁA.
Quanquam verò laudanda agere malis, quàm laudari,
Quomodo tamen laudari non debeas? cùm omnia
egeris laude digna.
Umbra Solis comes, laus rectefactorum.
Etiam tacente penna,

Stoa

Stoa & Peripatus ageret pro Te Oratorem
ſatis vocalem.
Exactô apud Iagellonicas Muſas tyrociniò,
promeruiſti brevi laurearum ſtipendia.
Doctum Corymbum,
quòd non fruſtra vertici impoſitum ſuſceperis,
in qua Viri probantur dextro greſſu deſcendiſti
in arenam.
Ut plurimum alii ſerio certamini, levioribus præludunt pugnis,
Tibi pro prima acie Major obtigit Polonia.
Ludos in ea non gladiatorios,
nec Olympica egiſti certamina.
At verò Curſus Philoſophicus, motaq; toties
argumentoſa cum doctis prælia,
majorem Tibi Victoriarum gloriam,
majora eruditæ mentis comparârunt trophæa,
Sicut enim differunt acumine gladii, ſic victoriîs triumphi,
Præter Martis Capitolia, etiam Cecropiæ Palladis Arces, Arîs Victorum plenæ.
Virentior laurea, quam ſudor eruditus tinxit, ac quam cruor.
Non aliud ſpecioſius triumphi genus, quàm
de ingeniîs triumphâſſe.
Horum Tu pluries Victor,
pulcherrima Nominis Academici cum gloria rediîſti ex Majorica.
Minori primùm ac demum Majori incorporatus Collegio,
laboribus labores, meritis magnis accumulabas majora.
Vna linea Apellem, una actio non Tibi Virum
facere videbatur.
Geminâſti proinde operoſiſſimum negotium,
legendo iterum Philoſophico Curſui,
Vladiſlavianus ex Collegio Majori Profeſsor,
biennalem impendiſti operam.
Felicem ſe numeroſus fatebatur Auditor,
ſub Te Profeſsore.

Ea equidem erat Tibi in explicando facilitas,
ea in enucleando claritas,
ea in resolvendo subtilitas;
ut nunquam hæserint in arduis,
nunquam cespitârint in dubiis,
nunquam fluctuârint in profundis,
quibus à Te in Philosophia erudiri contigerat.
Frangitur intensus, si non remittitur arcus,
atteritur & ferreus continuo annulus usu.
Tu oneribûs exercebaris ad onera, laboribûs nutriebaris ad labores.
Ambiit emeritos Tuos humeros Decanalis Purpura.
Crederet quispiam detersisse eam, profusos repetito
in Cursu sudores, sed re ipsa majores provocavit.
Illud quippe hic purpuris ingenium
quòd magis dierum sudores, noctiumq;
pallores ambiant, quàm superbiant murice.
Generoso sonipedi similis quævis literaria dignitas,
non patitur sessorem, nisi meritis gravem, laboribûs onustum.
Gemina vice Philosophicum gessisti muricem,
& ornâsti utrâq;.
Facultatis Decanus
continuas laboris agebas excubias,
ut omnes Themistocles essent, cum Tu Mylciades.
Disputationibus Philosophorum Ordinariis,
summa in id attentione præeras,
ut cresceret æmula virtus, daretq; vexatio intellectum.
Te Duce
in illis animorum velitationibus, contendebat quisq;vincere,
alios etiam vinci non pudebat,
cum eo ipso proficerent ad victoriam.
Te doctarum Moderatore luctarum,
ibant pugnaces in arenam sententiæ,
torquebantur & retorquebantur argumentorum tela,
dexteritate ingeniorum magna, gloriæ verò Tuæ
triumphô maximô.

Post

Poſt Philoſophicas Theologica Cathedra,
honoris Tibi & novi laboris gradus.
Quantum illæ in naturalibus Philoſophum,
tantum hæc audivit in Divinis Theologum,
aliàs ſubtilem, profundum, ſolidum & perfectum.
Non uno Te illuſtrem lumine, congeſta fecit ſcientia.
Alio quidquid in naturalibus latens, alio quidquid
in Divinis obſcurum attigiſti,
tam fideli & ſincera communicatione in alios;
ut totum pene Tuum ſcire, ſit ſcire aliorum.
SiveMoralē, ſive Speculativā Theologiam traderes,
tantum doctrinæ profudiſti in Auditorem,
quantum animô complectebaris ſcientiæ.
Hujus autem tantum complexus es,
quantum ad ſapientis animi ſufficiebat triumphos,
quoties in publicis ex ſacra Scientia Diſputationibus,
ſive defenderes, ſive oppugnares.
Docto de Angelis dùm recenter incumberes Tractatui,
Doctoralis operoſo Capiti imminuit Laurea,
plauſu ſanè Tuo pulcherrimo;
quòd ipſæ Intelligentiæ, ſeriò ſecum agenti
viſæ ſint nexuiſſe corymbum,
qui Orbis Intelligentias coronat.

Ita Vobis

meritorum & virtutum plenis, ſapientiâ ornatis,
non feſtinus quidem, ſed feſtivus obvenit
HONOR THEOLOGICUS.

Perilluſtres Domini
NEODOCTORES.

Sublimem eum veneramur in Vobis,
à merito Veſtro & eruditione,

Magnificum à Sceptris Rectoralibus,
inde vero Magnificentissimum,
quòd Laureas suas
Celsissimi Principis,
Illustrissimi & Reverendissimi
ANTISTITIS,
Vniversitatis Cancellarii,
gratiosa protectione assertas,
benevolâ præsentiâ ornatas,
Præsulea benedictione sacratas,
emeritis offerat in coronamentum capitibus.
Laus ergo, Honor, Gloria, & gratiarũ actio
à Musis nostris perennis;
SEDENTI in THRONO & AGNO
Vobis Perillustres Doctores
solennes Academicorum Ordinum plausus,
& ista sunto cordis devinctissimi vota;
Vivite longùm dilecta Phæbo & Musis Nomina.
Doctoralibus sub Laureis
estote omni fatorum à fulmine tuti,
florete incolumitate diuturna,
successibûs vigete prosperrimîs,
in Quaternione Virorum,
in unione animorum,
pulcherrima Almæ Matris,
&
Sacræ Facultatis
CORONA.

